TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
PHTHISI PULMONALI
TUBERCULOSA;

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES N. MOORHEAD,

HIBERNUS,

REG. COLL. CHIR. EDIN. LICENTIATUS.

Venienti occurrite morbo.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

NOBILISSIMO

MARCHIONI DE DOWNSHIRE,

&c. &c. &c.

VIRO PRÆCLARO;

AGRICULTURÆ, COMMERCII, REI LITERARIÆ

HIBERNIÆ SEPTENTRIONALIS

PATRONO NATIVO;

HIBERNIÆ GENTIS HONESTAMENTO ET GLORIÆ;

FELICITATIS CONJUGALIS,

RECTITUDINIS MORALIS,

UNICO EXEMPLO:

HOC TENUE OPUSCULUM,

SUMMÆ VENERANTIÆ

ANIMIQUE

PROPTER IN PATREM, VETEREM

EJUS NOBILIS DOMUS CLIENTEM, AMICITIAM,

GRATISSIMI,

HUMILE SED SINCERUM TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

PHTHISI PULMONALI

TUBERCULOSA.

"Misera hæc tabes, sæva, atrox, et insensibilis, teneros et amabiles depascens, cæde et luctu patriam implet." GREGORY.

OMNIUM morborum qui terris incumbunt, quid tristius Phthisi, sæviusve, habemus? Itaque nullus morbus, (propter frequentiam finemque ejus) attentionem medici magis sibi vindicat, quam de quo fert animus pauca tractare. Eheu, quam plurimi huic indies succumbunt! Malum quidem hoc insolabile, nec pulchritudini nec juventæ parcit. His potius immo prædari lætatur;

Inter pubertatis germina non raro edere lætatur.

Quandoque suffusione rubra amabili malas ægrotas falso tingit (sicut flores autumnales in aëre hyemali), imo in pectore tendit insidias, et nectar vitale depascens, deprædationi corpus destinat formosum.

MORBI HISTORIA.

Phthisis, a φθιω derivata, corruptionem aut consumptionem significat. Unus ex præceptoribus nostris doctisimis, ait ex hoc morbo "circiter quadraginta millia moriuntur in Britannia perenne;" atque duos ex novem Anglicis eo malo e vivis rapi Sydenhamus celeberrimus dixisset. Vitæ humanæ hostis iste insatiabilis omnem ætatem hominis aggreditur; sed sæpissime eos inter pubertatem annumque trigesimum quintum. Sed quanquam huic morbo proclivior sit ætas juvenilis, aliquando tamen, sicut inter prælegendum hominis meminit Gregorius,

qui phthisi periit, dum annum ageret septuagesimum.

Progressio et duratio hujus morbi multum variant: modo tam occulte obrepit, dein sese tantis viribus ostendit, ut intra paucos menses, imo hebdomadas, ægrum tollat. Doctor GREGORY, in præclaris ejus prælectionibus, quendam narrare solebat intra dies septemdecim post hæmoptysim hac phthisi extinctum. Tamen, modo diuturnior, gradibus tam lentis procedit, ut, præter animam, ægroto vix aliquid restet vivis commune. Insigne hominis unius exemplum ab anno octodecimo usque ad septuagesimum secundum ætatis, atrophia hac infecti, eodem memoriæ proditum est.

SIGNA hujus morbi plerumque variant, prout causæ a quibus orta fuerint. Inter symptomata phthisios (a tuberculo natæ) prima, tussicula arida est, quæ assueta ab irritatione perpetua tuberculorum fit, nonnunquam vero, mucus spumans ejicitur; plerumque sunt et corporis et animi languor; respiratio plus minusve impedita, sensusque stricturæ, ponderisve in aliqua thoracis parte percipitur; dolor lateris pectorisque levior graviorve, spiritum trahendo et corporis motu auctus;

præcipue post motum etiam lentissimum, spiritus crebrius dfficiliusque trahitur; pulsus arteriarum initio fere naturales, brevi frequentiores evadunt; calor naturalis augetur, palmarum et plantarum præsertim, et corpus inquietudine ardescit; perspiratio olim obscura, in sudorem levem convertitur; in unum alterumve latus decubitus etiam haud raro difficilis; maciesque sensim corpus consumit. Hæc conditio haud brevi tempore sæpe perstat, dum ægrotans frigore facilius solito afficitur, quod tussim auget et nonnihil catarrhi inducit. Tamen his signis gravioribus levatis, reliqua ab ægro ejusque amicis ex frigore solo pendere existimantur, ideoque terroris causam iis non præbent.

Itaque rebus sic stantibus, tussis et spirandi difficultas molestior fiunt, ab irritatione et incremento tuberculorum et impedimento quod aëris fistulis opponunt, eandemque comitatur expectoratio, quæ mane versus liberior et copiosior evadit. Sputum ejectum magis viscidum et opacum paulatim fit; colorem subviridem vel subfuscum et aspectum purulentum induit; atque sæpe sanguine miscetur, abscessus enim nullus magni-

tudinis notabilis in pulmone excavari potest, quin vas aliquod obvium sit, et erodatur, unde sanguinis profusiones. Primis morbi gradibus sæpe fit, ut pulsus arteriarum minimum varietur, morbo autem provectiore exilem, durum, et frequentem se habet; malæ interea erubescunt, præsertim post cibum sumptum. Macies, viresque gradatim labantes, dolor lateris et dyspnœa perpetua, et "Febris hectica quotidie revertens; accessionibus meridianis et vespertinis; remissione, rarius apyrexia, matutina; plerumque sudoribus nocturnis, et urina sedimentum furfuraceo-lateritium deponente," qua formata omnia signa in pejus ruunt. Hæ exacerbationes sensu frigoris et nonnunquam rigore accedunt, remissiones sæpissime minus notabiles; pulsus ad centum et quadraginta horæ sexagesima parte, raro, etiam inter remissionem, infra centum micat; nunc plerumque est debilis, sed interdum durus, et chordæ similis. Lingua raro tanta pellicula, ut in plerisque aliis affectibus febrilibus, obducitur; margines ejus sæpissime sunt floridæ, atque papillæ tumidæ et prominentes; nunc munda nitida et concisa est. Os plerumque humidum est, sitisque haud magna.

Vultus sæpenumero pallescit; at in exacerbationibus rubor floridus ac circumscriptus mala in utraque apparet. Morbo procedente, fauces et lingua inflammatione multa affici videntur, aphthas ulceraque ostendentes, ne æger alimentum facile devorare queat, impedientes. Vasis rubris spoliata, albida fit oculi adnata; colorem pulchrum margaritarum instar induit; quod vasa debilitata sanguinem in sua extrema, non amplius propellere possunt. Ineunte morbo, alvus adstricta est; nunc diarrhœa colliquativa, ob debilitatem maximam fibrasque intestinorum relaxatas, ægrum vexat Nunc magis magisque ingravescunt sudores colliquativi, ingentemque debilitatem inducunt. Hæ plerumque alternant alia cum alio. Quo magis copiosi sudores fiunt, tanto parcius diarrhœa, et vice versa. Partes corporis prominentes quibus pondus ejus incumbit, tandem gangræna affectæ.

Vis febrilis augescit, jamjamque vehementius urget; pili defluunt; ungues super extremitates, incurvati lividique fiunt; spiritus et dejectiones alvi fœtidus; pedes œdemate cruribusque distenduntur; pulsus arteriarum non nisi ægre

percipiendus est. In hoc morbo animus fere horas ad ultimas muneribus suis perfungi solet: interdum, autem, sensus delirant. Vultus collapsus fit, et, labris macie constrictis, dentes sese ostendant, et facies Hippocratica supervenit. "Nasus acutus, oculi concavi, tempora collapsa, aures frigidæ et contractæ, lobi aurium inversi, et cutis circa frontem dura, intenta, arida, colorque totius facies pallidus, aut et niger et plumbeus," moribundum ægrotantem denunciant, demumque mors tristem scenam claudit.

Hic porro notandum est, symptomata supra dicta etiamsi in plerisque, non tamen in omnibus consimilia esse. Habitu, temperamento, vel constitutione corporis varientur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Harum præcipuæ sunt, proclivitas hæreditaria, cujus immeritas pœnas tam sæpe nepotes luunt; debilitas pulmonum naturalis; diathesis strumo-

sa, quæ signis sequentibus cognosci potest; cute nimirum pulchra, tenui, lævi, per quam facile vasa sanguinem vehentia conspici possunt; genis floridis; pilis albidis mollibusque; oculis cœruleis; labio superiore nasive columna tumidis; musculis flaccidis; atque digitis longis tenuibusque, quorum junctura ultima crassa est. Aliquando cum aliis scrofulæ signis, crines, oculi, cutisque nigra, conjunguntur. Quibus pupilla oculi magis patula quam natura fert; atque fibra musculosa laxa existit; cui longum est exileque collum, scapulæ sublimi gestæ, pectus vel carinatum pulli gallinacei more, vel angustum nimis atque depressum, simul parum setosum, et cartilagine parum carnosa, sed prælonga et acuta*. Vocem debilem habent, spiritum etiam parum commode trahunt, modica etiam excitatione anhelant; hi præ cæteris, phthisi opportuni esse videntur. Obnoxii etiam ii qui in vaporibus acridis, pulvere, aut æthere insalubri necessario versan-

---

* "Corpus id (tutum est) quod minime tenue, maximeque lati pectoris atque setosi est, cujusque cartilago exigua, et carnosa est."—Celsus, Lib. ii. cap. viii.

tur. Hujusmodi sunt etiam cogitatio intensa, vini venerisque nimium, evacuationes copiosæ, frigus subito corpori admotum, præsertim cum humore adjunctum; etiam cœli temperiem inæqualem, vitam sedentariam et vestimentum tenuem inter primas commemorare haud dubitem; causa attamen minime dubia est emigratio a regione calida ad frigidiorem.

CAUSÆ EXCITANTES.

LABES hæreditaria interdum tantum prævalet, ut hunc morbum gignat, dum causæ excitantes abesse videntur. Sæpius autem phthisis Catarrho, aut irritationi pulmonibus illatæ, quæ tubercula inducat, vel irritet postquam formata fuerint, est referenda; Pneumoniæ, Scarlatinæ, Rubeolæ, Asthmati, atque secundum alios Hæmoptysi, quæ tamen, me judice, phthisios symptoma sæpius quam causa reperietur.

Catarrhus et asthma sæpe longe quidem innoxius morbus videtur; sed in strumosis, præsertim quibus tubercula aut concretiones calculosæ formatæ sint, periculosissima est affectio *. Aliis oriri videtur a syphilide; tamen verisimile est, tubercula quieta ad inflammationem et suppurationem excitari, ab hydrargyro contra syphilidem antidoto, quod in morbis omnibus strumosis perniciosum esse probatur.

Morbilli morbi causa sæpe habentur, nam in hoc morbo sanguis magno impetu pulmones versus dirigitur, ubi tubercula, si adsint, aut proclivitatem ad ea gignenda, concitare solet. Et denique, quodcunque pulmones aut tubercula vel *irritat* vel *exagitat;* qualia sunt, cœli mutationes subitæ; particulæ acres, mechanicæ vel chemicæ, spiritu acceptæ, vocitatio crebra et concussio varia—vel *comprimat,* ut costæ nimis arte compressæ—vel corpus *debilitat,* ut intemperantia omnigena; cursus expeditior et alia ejusmodi.

---

* Frequens autem distillatio in corpore tenui longoque, tabem timendam esse testatur.

CELS. ii. Lib., 7. cap.

CAUSA PROXIMA.

Hæc fere in omni casu ulcus est; aut abscessus in pulmone, tubercula supra dicta, aut calculi, quovis modo agitati aut irritati, inflammationem, et postea apostemata inducunt. Hæc tubercula, sunt corpuscula firma, albida, atque potius depositiones in tela cellulosa pulmonum morbidæ, quam glandulæ absorbentes auctæ: secundum numerum magnitudinemque eorùm, pulmonum expansionem impedunt, atque sanguinis circulationem liberam in eis tardant; unde anhelatio, palpitatio, distensio vasorum, dolorque capitis. Hæc inflammatione lenta tumescunt, crescunt, suppurant abcessusque parvi, sive Vomicæ fiunt; quæ rumpunt, atque pus in ramulos bronchiorum emittunt, ut excreatur. Aliis (quamvis rarior) demum nulla ulcera formari videntur, sed pus et hectica ab tunica tracheæ ac bronchiorum interna, incitantur: rubeola variola, scarlatina, pertussis, hanc speciem creare dicuntur.

DIAGNOSIS.

Morbi cum quibus phthisis confundi potest, sunt Catarrhus, Chlorosis, Pneumonia, Hepatitis chronica, Asthma.

Phthisios stadium incipiens *Catarrhum* aliquando multum refert, ideoque accurate dignoscere hos inter morbos sæpe difficillimum est. Tussis quæ phthisi adest, fere semper sicca est, nec in initio multum ægro molestiæ adfert; Dum in catarrho tussis major est conquassansque, oculorum rigiditas quædam, et lenis inflammatio, raucedo, gravedo, naribus coryza, et sternutatio, aliquid fere semper excreatur. Omnia hæc aut desunt omnino, aut multo leviora sunt in Phthisi Pulmonali. Catarrhus mucum tantummodo generat; et si materia purulenta reperiatur, phthisis adest. Consilio inter mucum et pus distinguendi (nam structura fluidorum omnino discrepat), experimenta diversa fuerunt instituta: eventus illorum

a Doctore C. DARWIN peractorum, hic proferam. Si sputa in acido sulphurico, et in lixivio caustico pari quantitate, solvantur, et si, aqua pura addita, aliquid in utroque cadat, pus est; si vero nihil cadit, mucus solum in sputis est. Murias hydrargyri mucum facile, sed nunquam pus coagulat: pus facile diffiunditur æqualiter per aquam, si vas utrumque continens exagitetur; quod si deinde iste liquor quiescit, pus deorsum fertur, mucus contra tam glutinosa est, ut aqua commisceri fere nequeat, et quies cito efficit ut mucus aquæ innatet, et quasi floccos repræsentet. Mucus ex solutione acidi per aquam separatus, aut suspenditur aut supernatat, dum pus imum petit. Pus ex liquore tenui, pellucido, cum globulis albidis in eo natantibus, constare microscopio interposito inspectum videtur; mucus nunquam.

In *Chlorosi* adest rei non esculentæ desiderium, cutis pallor et discoloratio; venæ minus plenæ, pulsus tardus, languor et torpor generalis, calor minor præcipue pedum, oculi hebetes, et tussis dura et sicca. In phthisi tamen res sese aliter habent, cupiditas cibi naturalis, vultus rubore suffusus, venæ sanguine plenæ, pulsus constanter

frequens, animus spe elatus, calor major, oculi nitidi et albidi, et tussis cum excretione muci vel puris copiosa, diagnosin inter chlorosin et phthisin constituunt.

Modum quo aliis de morbis supra dictis discernatur Phthisis, haud referre opus est; atque siquando, ut sæpe fit, conjungantur, diagnosis parum esset utilis. An *Stethoscopo?*

PROGNOSIS.

In omni casu pulmonariæ exulcerationis non parum periculi existit: plerumque est infaustissima, tamen non semper æque periculosa; quoties enim e tuberculis oriatur, infaustior est; hæmoptysis post pulmonum inflammationem nata, minus periculi habet*: in posteriore casu, si abscessus formetur et intus dirumpatur, periculum magnopere augetur; nonnulli tamen post hunc, prospera valetudine usi sunt.

---

* "In plerisque morbis optabilius est, ut extrinsecus quam intus nascantur."—Heberden, Hist. Morb.

In specie incipiente, sanationem, idoneis remediis adhibitis, expectare licet. Si autem corpus marcore fuerit affectum; si vires multum prostratæ; si febris hectica, accesserint; eventus procul dubio erit lethalis. Exemplum a Doctore GREGORIO, in prælectionibus, profertur, ubi mania superveniens morbum fugaverit. Progressus interdum mulieri in utero gerenti tardatur, (forsan in uterum fluente cruore congestionem ejus in pulmonem impeditum est); sed post partum symptomata graviora accedunt, quæ cito mors sequitur. Doctor HAMILTON, artis obstetriciæ professor, in prælectionibus dixit, pressuram in diaphragma, inter menses gravitatis posteriores, suppurationi pulmonis obstare comprimendo.

CURATIO.

HÆC in duo consilia medendi sese dividit; *Primo*, Tubercula, si qua fuerint, resolvere, et inflammationem arcere; aut si hoc fieri non potest,

ulcerationem, si possibile sit prohibere. *Secundo,* Mala, ut nascuntur, levare et compescere.

Quoniam in stadio tantum incipiente, remedia nostra, verisimile valebunt, ad primam morbi accessionem, animum advertere debemus.

Regimen prophylacticum constitutione vel temperamento ægri, prorsus niti debet, atque ne morbus pulmoni insideat, evitentur singulæ quæ hunc omnino irritare queant. Horum præcipuum est frigus, quod ideo cura maxima caveri debet; vestimentis scilicet satis crassis et calidis, et calorem æquabilem conservando. Cibus oportet esse nutriens et concoctu facilis, non autem stimulans; exercitatio regularis viribusque accommodata, nunquam ad fatigationem continuata. Si, his neglectis aut parum adjuvantibus, malum indies attamen gliscat, curatio medica ad molesta sedanda convertitur.

Quod ad medicinæ auxilia, sanguinem elicere, pro ægri viribus, &c. decebit; præcipue si adsint dyspnœa, dolor lateris, tussicula, et febricula: sin ubi tantum sanguinis quantum vires ægri sinant, detractum fuerit, dolor pectoris laterisve permanet, epispastica parti admota multum pro-

derunt; idem sæpius admovendum, quo humoribus extrorsum versis, vasa pulmonis expediantur.

Fonticula vel setacea, quæ eodem modo operantur, morbi levamen insigne sæpe præbent. In iis exemplis quibus tussicula sine signis jam dictis manifestatis, latenter obrepserit, sanguis caute admodum detrahendus, ne vires, inutiliter prosternat. Emigratio ad regionem calidiorem (si res familiaris non vetat) bene promittit. Ubi "Jupiter purus et serenus, zephyri molliter spirantes, mores et scenæ novæ vel jucundiores affectus mulceant, hilaritatem inducant et vires naturæ renovent," præcipue ad Madeiram, Galliam meridionalem, Italiam, Siciliam, &c. Sin autem res angustæ, aut alia, migrare vetent, alia remedia sunt proponenda, velut indusia lanea, conclave calidum, et inclusum, circiter gradum 60° Fahr.

Lac, præsertim asininum, quod pariter potui ciboque sit, omnibus aliis cibis præstat. Lac serosum quippe quod, propter qualitates acescentes, refrigerans et reficiens sit, ad libitum hauriri potest. Omnia, quæ refrigerent, præcipue succi

fructum acidulorum, huc optime conveniunt. Signis non urgentibus, cibus animalis tener et levis, facilisque concoctu, haud omnino abstrahendus est. Si in decursu morbi alvus sit astricta, hæc ope laxantium lenium solvenda est.

Digitalis hodie magnam sibi tulit famam; ei tamen multi nimium confisi, vanam spem foverunt; mirificæ hujus facultates in pulsus minuendo, olim et ubique innotuerunt, sed parem utilitatem cæteris morbi signis minime confert. Laudes huic medicamini fere immodicæ a Doctore BEDDOES tributæ; verba ejus sunt: "I see daily many patients in pulmonary consumption, advancing towards recovery with so firm a pace, that I hope consumption will, henceforward, as regularly be cured by the foxglove, as ague by the Peruvian bark." Rem vero longe aliter se habere, experientia satis superque demonstravit.

Exercitatio, magna musculorum excitatione sanguinis circulationis per pulmones, tussim provocat et malum organicum magnopere auget. "Implet autem corpus modica exercitatio." Itaque ludo tali utendum sit in quo corporis mus-

culi vix occupantur. Navigatio hoc tempore in nonnullis exemplis utilissima fuit. Equitatio, ab SYDENHAMO et cæteris, multum laudatur. Sedes pensilis etiam multam tulit sibi famam ; sed ultra modum, ut experientia Doctoris DUNCANI, bene probet. Verba ejus sunt : "Indeed, we have not met with any one case, in which any material benefit arose from its employment. With some patients, the sickness it occasioned was distressing, so that they could not be prevailed upon to give it a proper trial ; while, with others, it produced no obvious effect whatever, and particularly no change in the state of the pulse."

Emetica in Phthisi Pulmonali multum laudantur ; pulvis ipecacuanhæ, præcipue a Doctore REID*; sulphas cupri a Doctore SENTOR†, MARYAT, &c.

Quum ad secundum stadium ventum est (arte humana frustra nitente), virium omnium dejec-

---

* REID's Essay on Phthisis Pulmonalis, p. 174.

† Transactions of the College of Physicians of Philadelphia, vol. i.

tio, febris hectica, sudores nocturni, diarrhœa, facies Hippocratica, omnem spem curationis evertunt, et nihil nisi phantasma et tristis præcognitio manet; ulceratione pulmonis fatum certum infelici minitante.

Totum nunc munus est quod præstari manet, mala doloresque ægri ut possimus mitigare.

Igitur tussis et diarrhœa, quæ præsertim somnum impediunt ac interumpunt, viresque superant—*tussis* varia expectorantia sola, vel narcoticis, ut opio, conio, vel lactucario, conjuncta—*diarrhœa* remediis idoniis sedanda est, ut opio, kino, catechu, carbonate calcis, vel astringentibus qualia in ventriculo ægri facilius retinere possunt. Attamen his medicamentis diathesin phlogisticam augentibus, perspiratio colliquativa augetur; hoc malum autem compensatur, solatione ægro præbita.

Sudores nocturni, frugibus, acido sulphurico, ut in formula Infuso rosarum dicta, &c. reprimendi sunt. Medici munus non absolvitur, nisi iisdem vestigiis inhæreat, donec intra januas mortis male se habens accipitur.

FINIS.